Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2153

Quelle:
Copyright:

Joh. Wicleſi et ſequacium. Praemittitur locus *Matth.* 15. *Induerunt eum purpura, et impoſuerunt ei plectentes ſpineam coronam*, tum infit Imperator: *Ego ludwicus Imperator concedo tibi beato petro et ſucceſſoribus in perpetuum ſicut a predeceſſoribus noſtris usque nunc in veſtra poteſtate et dicione tenuiſtis et diſpoſuiſtis ciuitatem Romanam cum ducatu ſuo et ſuburbanis territorijs eius.* Proſequitur *Petrus contra Ludwicum pendens in cruce* ita: *Scientes quod non in corruptibilibus auro et argento redempti eſtis de vana veſtra converſacione* &c. Perorant *Aduocati curie pape.* Ita: *Audientes hec diſſecabantur cordibus ſuis* &c.

VII. *fol.* 189. *Petri Payne* ſive *Anglici* Defenſio Articulorum *Joh. Wicleſi* contra *M. Joh. Przibram.* Incipit: *Quia nuper in regno boemie inclitiſſimo unus eiusdem regni filius utinam non degenerans aliquo ductus ſpiritu ignorancie — nomine Magiſter Johannes przibram* &c. *Wiclefum* mox adpellat *doctorem indubie euangelicum*, ſe vero *chriſti et dominorum boemorum in ſpe ſeruum.* Complures e *Wicleſi* Libris Articulos ut erroneos ſcripto peculiari notarat *Przibramius* vir doctus et aliquando *Huſſi* partibus favens, hos Articulos hic tueri nititur *Paynius* jam a. 1417. Academiae *Pragenſi* adlectus. Publica dein a. 1429. inter utrumque inſtituta Diſputatio, de qua utriusque partis ſenſa refert *Cochlaeus Hiſt. Huſſit.* L. I. p. 11. et L. VI. p. 232. Confer et *Balbini Bob. doct.* P. I. p. 87. Noſtri, quem *Tannerus Bibl. Brit. Hib.* p. 582. *Petrum Payne*, *Paganum*, *Freing*, *Inglys* ſ. *Anglicum*, *Clerk* ſ. *Clericum* nominat, Scripta rariſſime occurrunt. Iſtud, quod prae oculis habemus, ignorat *Tannerus*, qui ceterum Autori ſequens teſtimonium minus honorificum adfert: *Iſte Petrus furatus fuit ſigillum commune Univerſitatis Oxon. ſub quo ſcripſit hæreticis Pragenſibus, quod Oxonia et tota Anglia ſit fidei Pragenſium, exceptis falſis fratribus Mendicantibus, addicta.*

VIII. *fol.* 225. *Incipit tractatus de corpore chriſti.* Initium: *Sepe confeſſus ſum et adhuc confiteor quod idem corpus chriſti* &c. Autor patet e calce: *Explicit tractatus de corpore chriſti quem M. Jo. Wy. compilauit.* 1433. Non facile in ἀπογεγραφοις bohemicis *Wicleſi* nomen integrum ſcriptum eſt, frequenter tantum per *Doctorem Evangelicum* ἀντονομαστικως repraeſentatur. Ut alibi.

IX. *fol.* 234. p. 2. *Queſtiones ad fratres eiusdem* duae *de ſacramento altaris.* Item *Decem neceſſaria ad perfectionem hominis.* Breviſſima.

X. *fol.* 236. p. 2. *Seguntur XXXIII. concluſiones M. Jo. Wy.* Cum ſuis utique Deductionibus. Initium C. I. *Chriſtus deus noſter caput uniuerſalis eccleſie fuit pro tempore huius peregrinationis homo pauper* &c. Et ad calcem: